

occupet Textus luculentior, inserta *Glossa interlineari*, et latera stipet *Glossa ordinaria*, prout in *Bibliis glossatis* habetur. Praefationes omnes absunt; ad calcem tamen subpleta est illa, quae in *Bibl. Gloss.* audit *S. Augustini*, et inci-

pit: *Omnibus diuinae scripturae paginae euangelium excellit &c.* Sequuntur deinceps quaedam in *Job.* notata, et a diversis manibus temere adjecta quaedam de Eucharistia, Versus mixti morales, v. g.

*Est melius subdi, quam stulte uelle reniti.*

*Diligimus sepe, nobis quod scimus obesse &c.*

Alii de Temporibus ecclesiasticis hoc initio:

*Que decantauit lugens sua crimina dauid*

*Exemplo cuius spacio sub temporis huius*

*Deploremus et oremus culpasque lauemus &c.*

Demum Sylloge Sententiarum moralium nullo certo ordine, quarum postremae: *Pecunia non faciat auarum, sed irritat. Occasiones querit, qui uult abamicare. Diuicie addunt plurimos amicos.* Anteriori thecae Codicis inscriptum: *Hunc librum testatus est ad librariam collegij ducalis honorabilis uir dominus matthias puellmair de grintling Presbiter frisingens. diocef.* Nullo, quod sciam, academico munere functus.

#### XCVII.

U. 62 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 121. 4. triplici, ut antecedens, perscriptus columna, et a. 1540. legatus ab *Joh. Fabio* Ep. *Vien.* contubernio studentium literis Adolescentum ad *D. Nicolaum* a se condito, ut *Προγγραμμα* praevium typis excusum fidem facit, complectitur idem

*Johannis Evangelium* cum iisdem *Glossis*, et quidem Praefatione pariter destitutum. Thecae posticae adglutinata est membrana mutila Instrumenti cuiusdam *Emancipationis* dati *Pragae* a. 1404. et firmati a *Martino* quondam *Galli de Tirnauia Olomuc. Diocef.* Notario publico.

#### XCVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 63 XIV. Folior. 98. 4. non una manu, partimque per tres, partim per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et ab eodem *Joh. Fabio* eidem Contubernio anno 1540. adscriptus continet I. idem *Johannis Evangelium* cum iisdem *Glossis* praemisso tamen supra dicto Prologo, cujus initium: *Omnibus diuinae scripturae paginae &c.* item Loco e *Bedae Homilia de Nat. Domini*, et quodam Paralelismo

lelismo inter *Johannem* et ceteros Evangelistas, qui incipit: *Euan-gelium emphatice dicitur bona an-nunciatio &c.*

II. fol. 75. sequuntur Collecta-nea e PP. de extremo *Judicio*, *Beatis et Reprobis* in Articulos redacta, sed ἀκεφαλα; incipiunt enim nunc a CCXLI. De *Resur-rectione*. Ita: *Omni*bus *questionibus* que de resurrectione moueri asso-lent &c. et ultra CCC. excurrunt. Postremus hac rubrica est: *Quid acturi sint sancti et que eorum felicitas*. Loquuntur *Augustinus*, *Ambrosius*, *Haimo*, *Julianus To-let*. alii.

III. fol. 81. Tractatus logico-theologicus ἀδεσπOTOS, cujus Prae-fatio incipit: *Omni* scientia suis nititur regulis uelud propriis fun-damentis &c. Postquam Autor id exemplo Grammaticae, Dialecti-cae, Rhetoricae, Ethicae, Phy-sicae, Arithmeticae, Musicae, Geometriae et Astronomiae osten-disset, sequitur: *Supercelestis eti-am scientia, id est, theologia suis non fraudatur maximis* (les Maxi-mes gall. Regulae, Principia &c.) habet enim regulas digniores sui obscuritate et subtilitate ceteris preeminentes &c. et postquam has Regulas seu *Maximas* dixisset ad-pellari posse *Paradoxa*, *Aenigma-ta*, *Emblemata*, *Enthymemata* et *Hebdomades*, ita concludit: *Unde boecius librum inscripsit de hebdo-madibus quasi de subtilissimis theo-logorum propositionibus. Iste propo-sitiones quanto intelligenciam ha-bent altiorem, tanto magis peritum*  
Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

exigunt auditorem. Vnde non sunt proponende rudibus introducendis, qui solis dediti sunt sensuum specta-culis, sed illis, qui ductu purioris mentis ad ineffabilia conscendunt, et puriori oculo philosophie secreta conspiciunt. Hec enim propositiones in penitiori sinu theologie absconduntur, et solis sapientibus colloquuntur. Tractaturi igitur de theologicis maximis a fonte atque omnium maximarum maxima id est generalissima nostri tractatus sumamus incium. En hanc Maximam Maximarum. Communis animi con-ceptio est enuntiatio quam quisque intelligens probat auditam. En et quasdam subsequeas: *Monas est, qua quelibet res est una. In super-celesti unitas, in celesti alteritas, in subcelesti pluralitas. Monas gignit monadem et in se suum reflectit ardorem. In patre unitas, in filio equalitas, in spiritu sancto unitatis equalitatisque connexio. Sola monas est alpha et ω. sine alpha et ω. Singulis Maximis suum subicitur ratiocinium. Numero sunt CXXX-III. Pervadunt omnia Dogmata, et postrema est: *Omni* subsistens dissimilitudine nature est aliud, e-ciam dissimilitudine proprietatis est aliud. Habes acutum Dialecticum Aristotelis doctrinam plenis rivulis in Theologiam invehentem. I-taque haec Seculum XII. et Ro-scelini Compendiens. Petri Abai-lardi, Gilberti Porretani tempora respiciunt. Foetum Gallicum esse suadet etiam Vocabulum *Maxima*, quod tardius ad Anglos, Italosque pervenisse putem. Meminerat Au-*

tor superius Libri a *Boethio* inscripti de *Hebdomadibus*, quo loco, nisi is Liber periit, lapsum arbitrator. Audi *Boethium* in *Tractatulo de Bono* edit. *Basil.* 1546. p. 963. f. *Postulas, ut ex Hebdomadibus nostris ejus quaestionis obscuritatem, quae continet modum, quod substantiae in eo, quod sint, bonae sint, cum non sint substantia bona, digeram &c. Hebdomadas uero ego ipse mihi commentor, potiusque ad memoriam meam speculata conseruo, quam cuiquam participo, quorum lasciuia ac petulantia nihil a ioco risuque patitur esse disjunctum. Diceres, Hebdomadas istas nunquam serinia Commentatoris egressas fuisse. Interim, quamvis etiam *Abailardus* crepet *Boethium*, Codicem *S. Victoris* ab *Oudino* T. II. col. 1287. citari video, quo *Gilberti Porretani Commentaria* non modo in *Boethium de Trinitate*, et de duabus in *Christo Naturis et una Persona*, sed etiam in *Librum de Hebdomadibus* contineri dicuntur, quo inducor, ut etiam praesentes *Maximas theologicas*, donec quis certiora doceat, referendas ad illum arbitrer.*

## XCIX.

U. 13. Codex membraneus lat. Sec. XIII. exeuntis Folior. 108. f. luculente exaratus, et rubricis distinctus *Actus Apostolorum* continet textu medio lineis ad recipiendam *Glossam* rarioribus, quem utrinque *Glossa ordinaria* comitatur,

ut videre est in *Bibliis glossatis impressis*, v. g. *Lugduni* 1545. T. VI. f. Praeter Prologum: *Lucas natione syrus cuius laus &c.* jam ipsa, quae Textui in Codice praemittuntur: *Lucas medicus antiochensis greci sermonis non ignarus &c.* *Glossae Ordinariae* pars sunt.

## C.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3079 partim XII. partim XIII. Folior. 242. f. min. parte sui principe verum Calligraphiae specimen, literis initiorum cubitalibus ex aevi gustu deauratis, picturatisque, columna media angusta, ut utrinque locus esset *Glossae ordinariae*, lineis distantibus, ut recipi posset *Glossa interlinearis*, colore Textus rubicundo, ut ab aterrimo *Glossae* distingueretur, continet *D. Pauli Epistolas* ordine consueto e vulgata interpretatione. Atque utinam confitisset ei haec sua primaeva elegantia! Verum quidam Sec. XIII. Possessor marginum spatio pellectus *Petri Lombardi Commentario* in dictas *Epistolas* eos magnam partem implevit caractere quidem non ineleganti, sed admodum minuto. Cum autem etiam dum superessent spatia, infusus aliquis tremula manu Sermones in quasdam *Dominicas, de Ramis Palmarum, de Defunctis &c.* inferfit.

Fol. 215. manu, ni fallor, ejus, qui *Lombardi Commentarium* adscripserat, sequitur *Expositio Can-*